

LVNÆ DIE 15 M. DECEMBRIS A. 2008

A.d. XVIII Kal. Ianuarias a. MMIX

I 47

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451

DE FAME MVNDO IMMINENTE

Cum puer essem, in schola didici tria circiter miliar-
da hominum Terram incolere. Semisæculo post
eorum numerus duplex factus est, quorum septima cir-
citer pars fame laborat. Nuntiant nunc hominum mul-
titudinem circa annum 2050 usque ad novem miliarda
auctum iri. ¶ Ab altero bello mundano, propter com-
municationum commeatumque celeritatem valde auc-
tam, globus Terræ magis magisque habetur ut totum,
cuius problemata tractanda sint generaliter. Cibatus
Agriculturæque Organizatio (*FAO, Food and Agricul-
ture Organization*), quæ est membrum Unitarum
Nationum, et Commercii Mundana Organizatio (*World
Trade Organization*) iam exstant, quæ de cibatu
omnium populorum curent ; at, deficiente vi politica,
hoc efficaciter facere non valent. ¶ Hodie frumenti
copia sufficit ad omnes mundi incolas bene alendos ; si
tamen tot sunt, qui fame laborent, causa est paupertas,
non penuria. Tanta tamen frumenti copia gigni non
potuit nisi reditus agriculturæ artificiose valde aucti
essent, sed nunc ad limitem perventum est. Inter
annos 2005 et 2007 mundanus cerealium proventus
auctus est 46 milionibus tonnarum, sed intra hoc tem-
pus eorum consumptio ad 80 miliones tonnarum cre-
vit. Anno 2008 expectata perceptio est 656 miliones
tonnarum, i.e. 50 miliones amplius quam anno 2007,
sed neque hoc sufficit ; nam copia conditicii frumenti,
quæ nunc est 124 milionum tonnarum, minuetur
usque ad 110 miliones. ¶ Quid faciendum est in proxi-
mo futuro, si numerus mundi incolarum augeri
pergit ? ¶ Etiam si ciborum dissipatio in locupletiori-
bus civitatibus minuetur, hoc profecto non sufficiet ;
oportebit augeatur proventus. Præterea in magnis civi-
tatibus, ut Sinis, propter recentes progressus œconomi-
cos carnis consumptio una cum maiore emendi faculta-
te apud magnam incolarum partem augetur. Nondum
scimus num Indi, qui e tradito more sunt vegetarii,
consuetudinem mutaturi sint, cum crescat eorum
emendi facultas. ¶ Sinæ 22 centesimas partes mundanæ
multitudinis alunt solum 7 centesimas partes soli ara-
bilis colendo. Americæ Fœderatæ Civitates suis agrico-
lis subveniunt. In Unione Europæa Politica Agricul-
turæ Communis scinditur in duas contrarias inclina-
tiones. Francogallia ex una parte constituit satis victus
gignere, ut suos incolas ipsa alere posset ; hoc tamen
solum fieri potest si agricolarum Francogallicorum fru-
mentum maiore pretio emitur, quam eo mercatum
mundanorum. Ex altera parte Magna Britannia victum
minoris pretii emit in mercatibus mundanis, quo fac-
tum est ut ipsa iam non haberet agriculturam.
Alterutra ex his inclinationibus eligenda erit in
Unione Europæa, cum anno 2013 renovabitur fœdus de

agricultura. Utra vero est in bona via ? Africa victus
importare debet, quia eius agricultura magnam partem
mansit archaica. ¶ Pleræque civitates nunc inclinantur
ad suam agriculturam fovendam, ut satis frumenti nas-
catur ad proprios cives alendos. Solæ nonnullæ civi-
tates, quæ supervacaneam frumenti copiam parvo pre-
tio gignunt, ut Brasilia, Argentina vel Ukraina, optant
ut suum reliquum frumentum in apertis mundi merca-
tibus possit venire. Australia 60 centesimas partes sui
proventus exportat, sed anno 2007 propter gravem sic-
citatem idem dimidio minor fuit. ¶ Terram aptare ad
alenda novem miliarda hominum non est parvæ molis.
Ut 3.500 calorias singulis hominibus cottidie tribuan-
tur, id quod dicitur esse optima diætā, colere necesse
est magnam partem terrarum adhuc incultarum, sed
hoc fiet magna cum silvarum pratorumque deletione
atque inde deminutione ferarum diversitatis. In orbe
terrarum nunc unum miliardum semis hectarearum
colitur ; putantur quattuor miliarda coli posse. ¶ Cum
agrorum reditus iam non augeantur, oportebit ingen-
tem pecuniam erogare in investigationibus scientificis,
quibus semina meliora fiant et vegetalia magis fortia
contra morbos et parasitos ; plantæ etiam climatis
mutationi aptari debebunt. Germani habent 40 milia
varietatum frumenti in suo fundo vegetali, Francogalli
tantum 10 milia. In insula Spitzberg, quæ ad
Norvegiam pertinet, instructus est ingens œcus frigi-
dus seminibus servandis aptus et *Svalbard Global Seed
Vault* vocatus ; ibi, vegetaliū diversitatis servandæ
causa, conduntur exempla omnium plantarum alibi-
lium totius orbis terrarum. Iuxta sunt complura labora-
toria investigatoria, quorum primum idemque
Francogallicum iam anno 1964 instructum est. ¶ Ingens
copia aquæ dulcis necessaria erit ad agriculturam
extendendam. Hodie 40 centesimæ partes agrorum irri-
gantur ; quod crescet usque ad 80 centesimas partes.
Iam nunc 80 centesimæ partes aquæ dulcis totius orbis
terrarum adhibentur ad agros irrigandos. Verum tanta
aquæ copia vix inveniri poterit. Methodi parvæ irri-
gationis sunt inveniendæ ; nonnullæ culturæ aquæ nimis
avidæ, ut maizii cultura, relinquuntur. ¶ Cerealia dimi-
diam partem agrorum arabiliū occupant. Ad eorum
reditum augendum, via genetica optima esse videtur ;
genoma plantarum artificiose mutare nunc possibile est
et verisimiliter hæc erit sola via efficax. Notandum
tamen est genoma oryzæ et maizii iam enodatum esse,
sed non frumenti ; eius enim genoma longissimum
est : quinquies maius quam genoma humanum et qua-
dragies quam oryzæ. Ad frumenti genoma enodandum
complures indagatorum manus operam dare debebunt
per nonnullos annos ; hæc tamen enodatio necessaria

est, antequam optima selectio et fortasse mutatio fieri possit. ¶ Reditus hodiernæ agriculturæ obtineri poterunt usu pesticidorum, i.e. substantiarum chemicarum, quibus nocentes parasi sive animales sive vegetales exterminentur. In Francogallia, exempli gratia, reditus singularum hectarearum est 6.400 chiliogrammata frumenti, sed quotannis 80.000 tonnarum pesticidorum sparguntur in agris; in Belgica circiter 10.000 tonnarum sparguntur. Has substantias frumentum et alii terræ fructus partim absorbent; inquinant ergo cibos hominum, quorum valetudini plus minusve nocent. ¶ Industria chemica semper conatur novas moleculas fabricare, quæ sint et efficaces et circumiectis hominibusque innocuæ. Primæ moleculæ, organochloratæ dictæ, quarum D.D.T. est exemplum notissimum, adhibitæ sunt inter annos 1940 et 1970. Earum toxicitas apud homines parva est, sed, cum sint valde stabiles, hæ moleculæ hærent et accumulatur in solis, plantis et adipe. Earum usus nunc fere ubique vetitus est. Postea apparuerunt moleculæ organophosphoratæ, quæ e contrario magnam toxicitatem apud hominem habent, sed celeriter delentur. Nunc sunt moleculæ tertiæ stirpis, quæ imitantur pyrethrum; iam diu nota est efficacia contra insecta pulveris florum contritorum huius plantæ. Moleculæ derivatæ tutiores sunt quam præcedentes in agricultura cibaria, sed infeliciter toxicæ sunt erga pisces et apes. ¶ De pesticidis orta est vehemens disputatio. Ex una parte Parlamentum Europæum vult copiam pesticidorum adhibitorum 85 centesimis partibus minuere. Ex altera parte agricultorum fœderationes autumant hoc fieri non posse, nisi pereat agricultura Europæa; exemplum Daniæ afferunt, ubi inter annos 1986 et 2000 copia pesticidorum maxime minuta est, sed ubi nunc 80 centesimæ partes frumenti importantur, cum antea frumenti proventus Danicus suffecerit. ¶ Cibi biologici, qui dicuntur, id est sine pesticidorum usu geniti, in annos pluribus hominibus grati sunt; sed fieri non potest, ut omnes incolæ talibus cibus alantur propter insufficientem reditum. ¶ Peractum est

tempus, quo abundabant naturæ divitiæ; oportebit parce dispensare energiam, aquam, cibos; etiam mare piscibus vacuefit. Ut diversæ gentes suæ culpæ consciæ fiant, nova mensura creata est, quæ « vestigium œcologicum » vocatur et « globalibus hectareis » exprimitur; vestigium est ficta soli superficies uni homini necessaria, quæ pertinet ad eius consumptionem opum planetæ et redintegrationem in biosphæra eius bonorum et ministratumum. Mox planeta Terra non sufficere ad nostrum vivendi modum sustinendum; nisi res mutantur, anno 2030 duo planetæ videntur fore necessari! In recenti relatione Mundani Ferarum Fundi (*World Wildlife Fund*), c.t. « Planeta vivus », legitur maximum vestigium œcologicum inveniri apud Emiratus Arabicos et minimum in Africana civitate Malawi. Multæ civitates maius vestigium œcologicum habent quam Terra tolerare potest; præcipue agitur de Fœderatis Civitatibus Americæ, de Sinis et de Europa Occidentali. ¶ Decetne vero civitates, quæ omnes progressus technicos genuerunt, institutionem omnium suorum puerorum curaverunt atque prolem continent, bonis privari, quia multæ gentes in orbe terrarum ignorantiam colunt præcipue feminarum, quas habent ut agros arandos, et prolem immoderate gignunt? ¶ Carnis amatores vegetariis cibus vesci debent; nam pratis substituentur cerealium culturæ. Præterea boves maiorem copiam gazorum Terram calefacientium emittunt, quam totus vehiculorum commeatu; singulæ enim vaccæ cottidie emittunt 600-900 litra carboni dioxidi (CO₂) et, etiam peius, 400-600 litra methani (CH₄). ¶ Verum quanta copia horum gazorum emittunt tria milia hominum et quanto detrimento circumiectis sunt? Valde miror quod non habentur conventus internationales, ubi potius quam de vaccarum flatibus disputetur de modo hominum multitudinis minuendæ. ❧

Gaius LICOPPE


NON SEMPER ERVNT SATVRNALIA

adagium 165

PERIPEDEMI PERIEGESIS

PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (I)

– scripsit Bradlius Walton –



I. THEISTLÆ

Ego, Peripedemus, natus et educatus sum Theistiæ, in urbe imposita valli, quæ superioribus sita est locis regionis montuosæ, cui nomen Opticiæ inditum est. Illic ex puero doctus sum, unum deum summum, æternum, infinitum, a se existentem effecisse mundum ; quem, cum spiritus sit, non mundo contineri, sed ubique nobis adesse ; cum persona sit, cogitare, velle, agere ; cum summus sit, imperium in omnia tenere ; cum omnisciens sit, novisse omnia quæ sint, fuerint, fieri possint ; cum omnipotens sit, omnia, quæ velit, consequi ; bonum, iustum, benignum, amantem esse ; mundum, quem ille fabricatus sit, compositionem esse causarum et effectuum, sed illi intercedenti patentem ; nos homines, ad dei imaginem factos, præditos esse intellegentia etsi finita et libero arbitrio quamvis nostram propter culpam debili ; necnon esse nobis, qui non simus absoluti instinctus naturalis servi, quandam facultatem orbis nostri transcendendi sive superandi quamvis imperfectam ; hunc deum, cum persona sit, summis respondere nostris artissimæ inter personas consuetudinis desideriis ; cum sit omnisciens, iustissimus, amantissimus, respondere nostræ scientiæ, iustitiæ, amoris cupidini ; cum rex sit omnipotens, esse nobis remedio timoris ; cum sit æternus, nobis facere sponsonem eorum, quæ amemus, fruitionis æternæ ; scientia tandem et bonitate sua efficere, ut scire possimus, quædam vera esse, quædam multi æstimanda.

Fides nostra, quamvis efficeret, ut spe consilioque confirmati viveremus, tamen comprehendebat quasdam notiones animum tantopere inquietantes, ut spes timori interdum cederet. Lapsi enim et imbecilli, nec proclives ad deum sic amandum, ut ille meruit, æternam timebamus damnationem. Etiam si sacerdotes docuerunt, nos amore divino non posse dignos esse, sed deum ipsum terrestri vita ac morte divinam erga nos meruisse charitatem, nec quicquam nobis faciendum esse, ut salvi essemus, nisi sacrificio eius et misericordiæ confidere, tamen hic quoque fuit locus timendi, nam de fide fiduciaque nostra sæpe dubitavimus. A pravitatem enim vitæ ad dei cultum conversi, interdum sensimus nos temptatione ita turbatos, et sancta charitate adeo expertes, ut contristati nosmet ipsos rogaremus, an fidem salutiferam re vera accepissemus. Præterea cum circumspicientes advertissemus iustos adversis conflictatos et improbos secundis elatos, necnon creationem malis naturalibus affluentem, nunc dubitavimus an deus esset bonus, nunc an esset.

Attamen, quantumlibet titubaremus, dei aut non existentis sollicitudo aut irati timor solebat, habitu fortasse humanissimo, succumbere spei existentis et miserantibus. Necnon ingenitus divinitatis sensus, congeries philosophicarum in dei existentiam demonstrationum, accuratissima condicionis humanæ enarratio sacra, moralis Christi præstantia, integritas theologiæ per tot sæcula excusæ et expolitæ, plerumque sufficiebant eis, qui credere iam inceperant, ad fidem fiduciamque restituendam.

Ego viginti annos natus piissimus fui dei cultor et obessor ecclesiæ. Cum puella, plurimos iam annos dilecta, mihi nubere aduisset, summa et gaudii et fidei fastigia ingressus sum. Nam lætitia gestiens non potui quin crederem, deum esse et bonum esse. Tum omnia statim eversa sunt. Pridie quam matrimonio coniungeremur, annis vicinus, qui ingentibus intumuerat pluviis, aggeribus ruptis in vallem nostram flumine sævientem exiit. Simul atque intellexi, diluviem maximis exitiis ipsam obruere viciniam, quam sponsa cum familia colebat, eo exsilii in tempestatem, ut eos servarem. Me tamen in fluvios properantem fratres apprehensum vi compescuerunt : ingredi tantum periculi esse mortem voluntariam. Fortissime repugnans, « ego, » inquam maximo clamore, « aut sponsam servabo aut conatu peribo. » Fratres strenue luctati, tandem me ictu prostraverunt et stupefactum in ædes traxerunt. Postero die, cum resipissem, obnuntiatum est, sponsam inter multos diluvie haustos numeratam esse. Satis horribile fuit, me amicam amisisse ; etiam horribilius, amisisse ducturum. Et ne quid deesset cum gra-

vitati tum foeditati calamitatis, providentia divina id addidit summæ ac supervacaneæ crudelitatis, quod sponsa in luto reperta est nuptialibus ornata vestibus, quas ultima concinnandas manu iam induerat, cum flumina ædes demerserunt. Non solum dolore, sed etiam conscientia mordente percussus sum, qui nec puellam servassem, nec cum ea periissem.

Immanis herba nascitur potens dolor
suisque rerum toxicis vultum novat,
nam quæ fuere amœna reddit horrida,
mellita acerba, luculenta turpia.
Sed talis orbis qualis e cunabulis.
Sumus, malorum pharmacis qui vertimur,
neque autem ocellis vertimur, sed pectore.

Comperi me mærentem pæne odisse deum, in quo id, quod bonum fuisset, iam videri dubium ; quod adiaphoron, malum ; quod terribile, terribilius. Cum fidelibus interfui, concionatore divinam vel iustitiam vel misericordiam disserente, iracundia effervi. Sensi nec providentiam dei sapientis benevolique, nec sanctitudinem credentium. Theologia nostra me cogitantem turbavit, dolentem offendit. Mihi persuasum est, omnia, quæ theologi præciperent, vel somnia vel mendacia esse. Parentes tandem fratresque certiores feci, me constituisse a Theistia discedere, si alibi florerem. Efflagitabant, ut manentem me traderem, si non deo, saltem tempori sanandum. « Dolor meus » inquam « si sanari potest, hic sanari non potest, ubi vulnera renovantur locis prioris felicitatis sæpe conspectis, et irri-dentur vulgaribus theologiæ capitibus sæpe auditis. »

II. DEISTLÆ

Theistia egressus, aliquatenus de superioribus locis descendi, dum pervenirem Deistiam, urbem Theistia maiorem et frequentiore. Ibi non quidem vidi tot tantasque ecclesias, quot quantæque Theistiæ erant, sed satis speciosas vestigiis Græcis delineatas. Ecclesiam ingressus sum, ubi aspexi parietes tabulis topiariis ornatas, laquear imaginibus cælestium pictum, tigna piis inscripta sententiis e libro Proverbiorum et Sermone Montano deductis. Nulla quidem altaria conspicatus sum, sed rostra edita mediis ædibus ante gregem statuta. Concionator, vir elegans, aliquot capita moralia disserebat. Etenim nullam Deistiæ contionem auditurus eram, quin solam tractaret probitatem, quam orator studio tam temperato, et urbanitate tam clementi disseruit, ut videretur virtutem potius commendare quam præscribere. Nec semel quidem sublimiores atti-

git religionis Christianæ doctrinas, Trinitatem, incarnationem, mortem Christi salutiferam, resurrectionem, iustificationem, sanctificationem.

Officiis absolutis, conventui caffeario adesse constitui. Ibi me solitarium parieti applicitum theamque sorbillantem concionator humane salutavit et agnitum advenam nomen patriamque rogavit. Ut audivit, me Theistia ortum esse, fastidiose subrisit tamquam oblectatus nescioqua re faceta et contempta, quod videbatur primæ comitati parum convenire. Deinde vultu ad urbanitatem iterum composito, rogavit qua de causa Deistiam venissem. « Forte perveni » inquam, « non tantum Deistiam petens, quantum Theistiam fugiens. » His auditis manifeste exhilaratus, « qua de causa, » inquit, « a Theistia discessisti ? » Dixi, tot tantisque malis homines adfligentibus, me dubitare existentiam, aut certe benignitatem dei. « Tibi » inquit, « non plane adsentior. Si enim perpendis multiplicissimum rerum et maxime viventium ordinem, existimo dubitari haud posse, deum esse. An providentia sit, et benigna sit, id stat in vocabulo definiendo. Si vis dicere, deum seu benevolenter seu malevolenter se interponere rebus humanis, tecum consentio, notionem providentiæ absurdam esse. » « Quid ergo, » aio, « intellegis providentiam esse ? » « Hac voce » inquit, « rarissime utimur. Nam providentiam intellegimus eam esse totius mundi convenientiam, cui haud dubie subest creator tam intellegens, ut operi suo confecto se immiscere nec velit nec debeat. Num faber machinam eo consilio facit, ut eam perpetuo sarciat et concinnet ? » « Memorasti, » inquam, « optimam mundi rationem. Quid autem quoad mala in eo evenientia ? » « Naturalia mala, » respondit, « e multiplicissimo rerum ordine nascuntur. Exempli causa, vis gravitatis nos et terræ figit et ex turribus detrahit. Necnon revolutio terrestrium laminarum tectonicarum, quandoquidem circulum carboneum moderatur, efficit ut atmosphæra terrestri vitam alat sustineatque ; sed etiam efficit, ut mare interdum summis æstibus elatum urbes et gentes detergeat. Nam plerumque maiori bono malum minus inest. » « Tsunamin » aio, « si minus malum habes, quid putares malum maius ? Cur deus ita fecit mundum, ut ulla inessent mala ? » Subridens ille, « is mundus naturalis, » inquit, « qui non et gignit et perdit, non intellegibilis est. Et sane nobis licet colligere e deo optimo optime factum esse mundum, cuius etiamsi rerum innumerarum concinnitas quædam incommoda nobis adfert. Nec dubitamus, si spectamus sapientiam divinam, quin optabilis sit creaturis moralibus et intellectualibus orbis, cuius incommoda virtutes mentisque acumen excolant. » Doctrina Deistiensis, mala naturalia

non proxima dei manu, ut Theistienses plerumque docebant, sed ratione orbis vitam gignentis et alentis, tamquam umbram corpore, necessarie oriri, mihi ardebat, quae mala minus funesta, et deum minus terribilem, redderet. Animo igitur confirmato « quid habes, » inquam, « quod dicas de malis moralibus ? » « Quod peccamus, » ait, « deus non in culpa est. Nam libero arbitrio peccamus. » « Elegimusne » inquam, « peccare, quod lapsi ad peccandum proni sumus ? » « Minime » inquit, ridens tam insolenter, ut ægre mihi faceret, « si proclives ad peccandum sumus, causa ab ignorantia, non a quodam arcano animæ vitio, repetenda est. Deus non sapiisset, si res ita disposuisset, ut hic tam exitiabilis et tantum non insanabilis lapsus generi humano accidere posset. Immo vero, quandoquidem virtus nobis prodest, deus nos fecit ad honestatem propensos. Nos tamen probitatem disciplina et experientia discimus, necdum satis docti, errando sumus obnoxii. Primum igitur et fortasse solum ecclesiæ officium est virtutem præcipere. » « Nonne, » inquam, « etiam ecclesiæ est deum colere ? » « Est quidem, » ait, « sed verus dei cultus est recte facere. » Hæc mihi argumenta non displicuerunt, quæ deum et benevolum et sapientem esse creatorem affirmarent, et, cum delicta non malevolentia sed ignorantia fieri haberent, et conscientiam culpa exonerarent, et nos rebus moralibus eruditos salutem ipsis adferre posse asseverarent. Significatione, eaque benigna, mundo restituta, felicitatem sperans Deistiæ consedi.

Illi nec mora das fidem
qui mulcet cupidam blanditiis tibi
extollitque superbiam,
quique « infaustus eras » dicit, « et innocens »
immissique tuis mali
in te nequitiis atque furoribus.
Plausus accipiet tuos,
sumet divitias, nec tibi proderit.

Primum volui nomen in tabellis academicis eo consignare, ut aliquam educatus professionem pararem. Impensis tamen scholasticis impari necesse mihi fuit, prolato discendi consilio, labores quæstuosos petere. Quamquam conductus sum arcarius in argentariam, ubi cognovi esse quidem Deistienses, qui copiis abundarent, tamen florere, immo vivere, vix potui. Merces enim plebis victum quæritantis minima fuit, annona carissima. Macellarii emptores fraudare. Diætæ nimii locari. Nam Deistienses, quamvis ecclesiam frequentantes permultas de rebus moralibus conciones audirent, tamen non ita audiebant, ut meliores fierent.

Dominus meus mercedem domesticam tris in novem mensibus auxit. Cui dixi, me, si fame conficerer, nullos esse nummos persoluturum. « Non stultus, » ait « mercedem ex te posco mortiferam, quæ commo meo obsit. Ostende penariam. » Frigidario aperto, « ecce » inquit, « conspicio offam porcina, piper viride, collyram. Te profusum ! Facillime sumptum minuire potes. Compara pro offa lentescens, pro pipere brassicam, pro collyra solana. » « At fere semper » inquam, « edo lentescens, brassicam, solana. Eis solis vesci non possum. » « Existimo » inquit, « te posse. Quandoquidem facilius est cibo quam domicilio paulisper saltem carere, conductores malunt esurire, aut vilissima comedere, quam a mercede domestica solvenda deficere. Ergo mihi licet tantum poscere quantum cupio, dummodo conductor fame non omnino deleatur. » « Potesne » inquam, « ferre tantæ paupertatis aspectum ? » « Quidni ? Non sum, qui fame excrucior. » « At, » inquam, « quid de misericordia naturali, quam creator tibi immisit ? » « Plurimi sunt miseri, » inquit « quorum omnium si me misereat, misericordia conficiat. Variis igitur argumentis mihi persuasi, ne nimia frangerer misericordia. Creatoris enim sapientiæ est, nos posse eos affectus, qui felicitati obsint, ita compescere, ut ei marcescentes tandem extinguantur. Ergo sensibus moralibus tam naturale est carere quam abundare. » « Nonne oportet, » inquam, « cum decet, misereri ? » « Hoc unum oportet, » inquit, « felicitatem colere. » « At, » inquam, ira commotus, « nonne te pudet avaritiæ ? » « Minime, » inquit « nihil naturalius vel rationalius est, quam avaritia sana. Cui quidni indulgemus, quoad tutum est ? »

Quamvis percipias et agas moralia doctus,
nec bonitate ideo nec probitate vales.
Iam proclive bono cor disciplina figurat,
illius et dubium roborat arbitrium.
At bona depravat cor disciplina malignum,
pauperibus doctas et parat insidias.

« Neque » inquit dominus « indignationem tuam intellego. Tu quoque homo es, tanta philautia præditus, quanta ego. Si idem non facis atque ego, causa non est quod eandem indolem, sed eandem faciendi facultatem, non habes. » Mihi præcordia inspicienti agnoscendum erat, me mei commodi tam studiosum esse, quam ille sui, nec, cum mecum reputassem inquietos ex mei ipsius amore nascentes affectus, existimavi me meæ utilitati, si occasio data sit, æqua aut fere æqua crudelitate inservire non posse. A deformitate mea in hoc homine tamquam in speculo conspecta abhorru.

Ne properes audax alienos carpere mores
inque nefas rabies admoderare tuas.
sunt qui flagitiis præstant. Sed in omnibus unus
flumina fert læsis fons odiosa deis.

Tot angustiis vexatus nummariis, ad frumentum publicum me contuli. Ibi mulier sportulis distribuendis præfecta mihi dedit tantum cibi, quanto unam hebdomadam sustinerer. Inde lætitia fere gestiens, « sescentas, » inquam, « tibi gratias ago. Maximi humanitatem tuam æstimo et gratias ago deo, quod aliquis egeniores curat. » Mulier, stultitia mea delectata, « Nec humanitas » inquit, « nec cura est, cur pauperibus subveniam, sed philautia. Nam ditiores cibum eo consilio præbent, ne plebs, nimia egestate laborans, rem publicam perturbet. Noli ergo gratiam referre. Neque enim causa tua te opsoniis dono. »

A frumento publico discessi contristatus. Nam mihi videbar in homines incidisse, quorum præcordia in se omnino incurvata erant. Cibum quidem habui, sed non sodalitatem, nam Deistiæ alius alium non curabat, et quisque sua contentus fuit animi durtia, quam naturalem, ergo bonam, habebat. Statim ratus, solum amicum mihi hominibus derelicto esse deum, ecclesiam petivi. Quam ingressus, in subsellio consedi et, manu porrecta ad scabellum precatorium sub genua trahendum, aer vacuum prehendi. Mirans subsellia nullis scabellis precatorii instructa, ad genua in pavimento procubui. Eodem temporis puncto, concionator aulam ingressus « Quid » inquit, « facis ? » « Deum, » inquam « oro. » « Di immortales, » inquit, « quem ad finem ? » « Quod » inquam, « hic videor mihi tam desertus esse, ut velim deum adesse sentire atque ex eo auxilium petere. » Concionator leniter ridens, « Nil prodest » inquit, « deum implorare. Ille non curat. » « Quid dicere vis ? » « Ut iam tibi dixi, » inquit, « si deus operi suo, quod sapientissime perfecit, neque optimum melius facere potest, se immisceret, absurdum esset. » « Nonne » inquam, « dei interest, utrum nos creaturæ suæ floreamus necne ? » « Non nimium, » inquit. « Nam deus non est persona, aut fortasse accuratius est dicere, inutile esse deum animo fingere personam, qui precibus nostris non respondeat. » « Quid ergo, » inquam, « deus est ? » « Quædam vis pancosmica et prima omnium causa. » « Est aliud amplius, » inquam. « Velim eucharistiæ interesse. » « Cur malum, » inquit, « id vis ? » « Sentio mihi » inquam, « opus esse confessione, venia, gratia. » « Quid dicis ? » « Disputabam » inquam, « cum domino, viro avaro et crudeli, quem nimix philautiæ insimulaveram. Ille mihi persuasit, infima me indole pariter improbum esse. Intellexi quam turpis et perni-

ciosus sit tantus sui amor, et quam frigidus, duros, deformes eos reddat, qui commodo suo nimis inservant. » « Hem » inquit, « eucharistiam non celebramus. Quorsum ? Mores, si corrigendi sunt, eruditione, non dictis futilibus vel cærimoniis magicis, emendamus. » « At, » inquam, « mores non significo, sed eos fines pravatos, quos penitus in animo defixos ipsosque emendationis conatus moderantes, necesse est ut quipiam nobis extraneum, sapientius, melius corrigat. » « Somnia ! » inquit. « Sapientissimus nos deus ita fecit, ut machinæ intellegentes nosmetipsos reficere possimus. Incassum utique gratiam petis e numine absente. » « Non sum, » inquam, ira permotus, « machina reficienda, sed homo sanandus. Nisi sum deo curæ, quomodo ille ad me pertinet, et cur eum curem ? Longe satius est credere, deum non esse, quam esse nec curare. Longe satius, immo rationi convenientius, credere naturam esse omnia. Si credis, naturam quam optime factam esse, neque umquam depravatam, tibi credendum est, homines, quidquid natura sua faciant, quam optime facere. Et si nos homines naturaliter, id est, recte nos gerimus, nil interest, quoad saltem attinet ad præcepta moralia, quid faciamus ? Quidquid facere constituimus significatione morali caret, dummodo utilitati inserviamus. Si vicinus meus naturaliter, id est, recte se gerit, neque hic putatur umquam id facere, cuius eum pæniteat, hic manere nimis periculosum est. »

Concionator suspirio ducto « Plerique » inquit, « his collectis, serius ocus Deistiam relinquunt. Idem faciendum ipse meditatus sum. » « Quo » inquam « eunt ? » « Ad urbem Physicam. » « Quidni » inquam, « illuc te recipis ? » « Quorsum ? » inquit, « hic mihi munera digna sunt necnon magnus quæstus. Cur discedam ? » ❧

Continuabitur

DE MAPHÆI BARBERINI SIVE VRBANI VIII CARMINIBVS IVVENILIBVS (II)

– scripsit Theodericus Sacré –

Iam ad epigramma decimum quintum transeamus,
I quod aut fallor aut a vobis non ita facile sanabitur. Id
hunc in modum edidit philologa :

(p. 162) *De tristi somnio* <XV>

Cum mihi clauderat languentia lumina somnus,
sub sera hoc tantum nocte quietis erat.

Dira sopore dolis ac me nunc somnia turbant,
meque ferit dominæ mira imago minis.

Ah, datur saltem optato succumbere leto ! 5

Ah, nostras audi tu, Libitina, preces !

Et quod enim pœnæ sperem solamen in ipsa,
si requie misero est irrequieta quies.

Fateor hosce versiculos in ipso libro Vaticano non facile legi ; acidum enim ac tamquam vorax atramentum chartam ipsam non leviter corrosit mutilavitque. Nihilominus versus hi stare me iudice vix possunt. Mitto primum distichon, in quo nulla difficultas, nullus obex, etiamsi pentameter venustate caret, ne dicam perspicuitate. Contendit enim poeta se producta tandem nocte aliquam invenisse quietem (« hoc quietis sub sera tantum nocte erat, cum mihi somnus languentia lumina clauderat »). Inde somnia se vidisse. Verba vero « sopore » ac « dolis », quæ in tertio leguntur versu, nulla inter se coniunctione iuncta esse videntur, id quod miror ; accedit huc quod versus quarti pars posterior contra metrum peccat (« mira imago minis »), nisi forte hiatum ibi credimus admissum satis asperum. Porro illud « datur », quod habet versus quintus, prosodiæ repugnat. Nec denique illud omittendum, quod versus septimi coniunctio « et » ab omni venustate poetica est aliena, quodque verba « in ipsa » satis absurde ad Libitinam referri videntur. Hic ergo plures pæne cicatrices quæ versus. Quod cum ita sit, denuo inspicendus codex, qui hæc versu tertio : « dire » pro « dira », « sopor » pro « sopore », « crudelis » pro « dolis », « amor » pro « ac me », versu autem quarto « feris » pro « ferit » et « terret » pro « mira ». Itaque sanatis vulneribus haud paucis distichon ita audit :

Dire sopor, crudelis amor, nunc somnia turbant
meque feris dominæ terret imago minis.

Nonne hæc multo elegantiora poetaque sæculi decimi sexti exeuntis valde digna ?

Tum, quod facillima divinatione ipsi coniectavistis, legamus oportet « detur » pro « datur ». Postremo, quod ad ultimum attinet distichon, respuamus illud « et quod », inseramus « ecquod », et subdistinctionem transferamus ita, ut non post « ipsa », sed post « sola-

men » subsistamus paulisper. Nonne tota res callidum ad finem iam pervenit ? Quid enim contendit poeta ? Se interdum cruciari amore miserrimo ; noctu sibi nihil solacioli somno afferri, quod se somnia terreant ; mortem igitur esse exoptandam, ut ærumnis tandem aliquando finis imponatur. Proinde legamus :

Ecquod enim pœnæ sperem solamen, in ipsa
si requie misero est irrequieta quies ?

Transeamus ad epigramma septimum et decimum, quod est lepidissimum totumque fere constat in suavioribus iterationibus, verborum lusibus, sonis efficacioribus, ceterum Petrarcam mihi videtur redolere, amantium contrarios affectus haud raro exprimentem :

(p. 164) *Ad eandem* (= Portiam) XVII

Quam durum, mea vita, non te amare,
Cum sis una animi mei voluptas,

Una deliciæ salusque cordis.

Quam durum, mea lux, mihi te amare,

Esse cum tibi sentiam molestum. 5

Et sic me tuus vocis angat angor,

Ut vel terque quaterque obire malim

Quam tibi gravis esse. Quod si amari
<extra>, lux mea, res tibi molesta est ?

Res erit tibi grata, si te amare 10

Desistam. Atqui anima quidem æquiore

Quam desistere amare amem perire.

Hic facile est medicinam afferre vulneribus. Nam illud « vocis » versus sexti contra metrum peccat ; litterarum signa perperam legit editrix, quæ « vocis » pro « acris », quod heic, ut et alias interdum fit, masculini est generis et ad angorem refertur ; itaque poeta vi sonorum vehementi usus, puellæ angorem significanter exprimit : « Et sic me tuus vocis angat angor ». Accedit huc quod illud « extra » versus noni sensui omnino non est consentaneum. Ipse ibi legisse mihi videor « una », quod sane quadrat, cum præsertim signum interrogationis post « molesta est » sit delendum. Audite : « Quodsi amare/ una, lux mea, res tibi molesta est,/ res erit tibi grata, si te amare/desistam. » Iterum vero, si vultis, audite versum finalem, ubi amoris omnia plena ; nam se mori malle dicit poeta quam amoris facere finem : « Atque anima quidem æquiore/ quam desistere amare, amem perire. »

Iam nos vocat epigramma sextum et sexagesimum :

(p. 194) *Bathyllus ad Hyellam LXVI*

Improba, nunc miserum quid ludis, Hyella, Bathyllum ?

Non fuerat tibi me deseruisse satis ?

Non, ut inargute iactas, nigrantia castra
formicæ in malis constituere malis.

Proh dolor, eheu, facies formæ pereunte decore 5
obnubit nigro tegmine mæsta genas.

Versum quartum describens dormitabat editrix : nam non « constituere malis », sed « constituere meis » exhibet liber Barberiniano-Vaticanus. Ceterum videtis pænultimo versu « eheu » pro « heu » admissum, quas interiectiones scriba sæpicule inter se confudisse videtur. Difficultas autem in altero est disticho, quod ita vortit philologa : « Nicht, wie du geistlos verlauten lässt, haben Ameisen ihre schwarzen Burgen in faulen Äpfeln gebaut. » Ego vero haud scio an verba ea « in malis » versus quarti a malis arboreis sive pomis non sint derivata ; « malis » dixerim a mala sive genis ortum verius duxisse. Quid enim queritur Bathyllus ? Derideri se a puella, quod formam ipse amiserit ; faciem non iam esse candore notatam, verum evasisse nocte nigriorem, non quo pustulæ vel exanthemata eruperint et fornicationem pruriginemve genuerint, sed quia ipse amissa puella mæstus nigrum quasi velum quoddam obduxerit. Ceterum Græcum nescio quid habet totum epigramma, ut non mirer si quis vestrum fontem Græcum statim agnoverit indicaveritve quodnam ille epigramma Græcum Latine converterit.

De epigrammatis plura erant dicenda ; quæ silentio transibo, transiturus iam ad alia genera poetica, quæ Barberinus, dum adulescentiatur (ut cum Varrone loquar) excolebat. Ac primum quidem eclogam inspicimus quandam Vergiliano more lusam. Sunt eiusmodi autem bucolica quinque inter iuvenilia inventa, quorum alterum est id, ad quod vos nunc voco. Conqueritur hac in ecloga Lycidas quod Melibœum amicum omnia neglegentem officia pastorica conspicit ; Melibœus vero amorem excusat infelicem atque id quidem his verbis, si editrici confidimus :

(p. 28) *Ecloga II*

Ō Lycida, et quisnam, si non querar ipse, queratur ?
Cumque feris hominum comertia cara perosus
incolat umbrosas silvas ? Ne spargere questus 10
me prohibet ? Hoc superest unum solamen amanti.

Mira sunt hæc verba ; nec minus mira versio Theodisca : « Oh Lycidas, und wer denn, wenn nicht ich klage, soll klagen und voller Hass auf die

Geschäfte, die den Menschen teuer sind, mit wilden Tieren dunkle Wälder bewohnen ? Wer hindert mich denn, Klagen zu erheben ? Dies allein bleibt dem Liebenden als Trost. » Addidit autem editrix adnotiunculam affirmavitque formam illam « prohibet » versus quarti iuxta exempla Lucretiana per contractionem bisyllabice esse pronuntiandam. At heic tota illa errat via. Nam, verum si quærumus, licentia eiusmodi hunc in versum minime cadit ; etenim, quotiens « prohibendi » verbum contrahitur, producitur prima syllaba ; inde Lucretius 3,863 « accidere. Id quoniam mors eximit, esseque prôbet », et idem, versu 977 libri primi « nam sive est aliquid quod prôbeat efficiatque ». Heic vero prior syllaba nequaquam est producta ; nam nulla est causa cur posterior syllaba (« prôbêt ») producat. Ceterum res syntactice defendi vix potest : quid enim sibi vult « Ne prohibet » ? Unde (precor) licuit vertere : « Wer hindert mich » ? Vos quomodo versus sit ad sanitatem reducendus statim, nisi fallor, vidistis. Dicite. Imperativus enim postulatur ; itaque legamus oportet : « Ne spargere questus/ me prohibe ! Hoc superest unum solamen amanti. » Ceterum perperam intellexisse mihi videtur mulier docta « hominum comertia cara » ; siquidem interpretata est « die Geschäfte die den Menschen teuer sind », tamquam si adiectivum *carus* non dativum, sed genetivum regeret ; accedit huc quod non alluditur ad mercaturam (quæ appellantur Theodisce « Geschäfte »), verum ad hominum consortia, convictus, usus, familiaritates ; agitur enim de viro tam infelici ut ceteros vitet homines, solus lacrimas usque fundat delitescens questusque amaro e pectore promat.

Eodem fere modo haud intellectus esse videtur locus alter ex eadem ecloga excerptus. His enim verbis Melibœus ille, quem dixi, quantopere crucietur explicat et feras bucolico more adfert ad rem augendam :

Non si dilacerent avido mea viscera morsu
getulusve leo, tigrisve hircana, vel esca
sim tibi, seve Ciclops, horrende aut preda Chimere, 25
me tantus cruciet dolor.

Ignoscetis mihi, sodales, qui risum tenere pæne non potuerim, cum versus eos Germanice versos legissem atque id quidem ita : « Nicht wenn mit gierigem Biss der Gepard oder der Löwe, der Tiger oder der Ziegenbock meine Eingeweide zerrissen hätten », et ita porro. Liquet inde, si fides mulieri illi facienda, « -ve » illud encliticum idem valere ac « vel » coniunctivum ; porro « getulum », qui Theodisce audit « Gepard », videlicet quod est eiusdem fere soni, idem significare

ac « leopardum » ; immo « hircanam » ab « hircio » haudquaquam distare. Quid multa ? Gætulos sive Lybicos leones minime novit editrix ; Hyrcanasque tigres, licet poetis operam dederit, ne semel quidem offendit. Utinam Æsculapia surgat proles rem quæ sanet !

At, quoniam ad amorem iam pervenimus, continuemus amorem. Nam et elegiarum seu amorum liber a Barberino conscriptus est. Quo Sylvia quædam ficticia canitur. Tertium autem carmen ita incipit :

(p. 100) *Elegia tertia. Ad Sylviam*

Nulla mei quando te, Sylvia, tangit amantis
cura et in hoc misero cogor amore mori,
nec iuvat, heu, quicquam gelida sub nocte iacere
nec poni lachrymis humida sarta dare,
sydera, vos saltem nostras audite querelas ; 5
illa meas surda negligit aure preces !

Nihil hoc loco dicam de fontibus ab editrice parum curate indagatis ; nam uniuscuiusque fere versiculi particula quædam desumpta est e Catullo, Tibullo, Propertio, Ovidio ; sed me movet illud « poni », quod habet versus quartus, Germanice redditus hunc in modum : « und es nicht freut, ach, in kalter Nacht dazuliegen und auch nicht zuzulassen, tränenfeuchte Kränze niederzulegen », et ita porro. Ego vero quemadmodum illud « dare » cum « poni » sit coniungendum nullus video. Itaque cum locus prave lectus mihi esse videretur, ad codicem oculos denuo conieci, ut his luminibus lumen rei afferrem. Nec me spes fefellit ; etenim exhibet liber quod omnimodis plaudendum est, quodque vos quoque felici divinatione ipsi conicere posse mihi videmini... Nam cum exclusi sumus a puella et paraclausithyron, quod nuncupatur, canere coacti, cuinam, obsecro, loco sarta damus ? Nonne limini, nonne ianuæ, nonne... postibus ? « Nec posti lachrymas humida sarta dare » : ita restituatur versus legitimus !

Et, quoniam de postibus est sermo, iam aliud aggrediamur poemation, sextum videlicet elegiarum carmen, quod multis locis claudicat atque id quidem non poetæ, verum editricis culpa. Nam in eo carmine, quo Iohannis Pelicani, senatoris Romani, celebrantur laudes, tum alia leguntur, tum hæc :

(p. 110) *Elegia sexta. Ad Ioannem Pelicanum Urbis senatorem*

At Sixtus [est papa Sixtus eo nomine V], cœli nitidas
cui claudere portes 10
unicumque libet pandere posse datum est,

ut te iure vocat suprema ad munera Romam,
civibus et cunctis dicere iura iubet.

(« Sixtus aber, dem die alleinige Macht gegeben ist, nach Belieben die glänzenden Pforten des Himmels zu schliessen und zu öffnen... »). Mitto quod non « mune-ra », sed « munia » defendit codex, ne in nugis diutius verser. At « portes » quomodo defendamus ? « unicum », producta altera syllaba, quomodo tueamur ? Altera est enim syllaba unice brevis ! Proinde eiciantur « portes », « postes » denuo introducantur. Nam non « portes » neque « portas », sed « postes » scriptos reliquit poeta. Undecimo autem versui quomodo medebimur ? Nonne videtis ? Distinguenda sunt vocabula duo in uno illo « unicumque », quæ fœda satis est editionis macula : quid si scripsit poeta : « cui claudere postes/ uni, cumque libet, pandere posse datum est » ? Sic ille, mihi credite, scripsit !

Non minus crassa Minerva in hoc epigrammate,
quod est duodecimum :

(p. 158) *Ad eandem (= Portiam) XII*

Salsa velut maris unda, cavo que fervet in aere,
perdita amaritia dulcior amnis aqua est...,

quos versiculos ita vertit docta illa mulier : « Wie einige salzige Meereswoege, die in der trockenen Luft verdampft, wenn sie ihren Salzanteil verloren hat, süsser ist als Flusswasser ». Hocine tolerare potestis, sodales : « cavo in aere » idem significare quod « trockene Luft », « fervere » autem « verdampfen » ? Ohe, dehinc iam nos quoque vivamus non « ære parvo » contenti, sed « ære parvo », iam dehinc stupeamus quod aëroplana « æs », non "aëra" secant, et caccabis iamiam utamur non ahe-neis, verum æreis !

Non minus miratus sum quod Alexander ille Farnesius patriam meam eiusque ocellum, Antverpiam dico, ita debellasse dicitur (in epigrammate tricesimo tertio) :

(p. 174) *De eodem (= Alexandro Farnesio Belgarum debellatore) XXXIII*

At tibi, Alexander, magnam dum subicis urbem,
quam tumidis rapidis Scaldis mundat aquis.

O pentametrum vere divinum, cuius pars altera est spondiaca, quique insignitur sono oppido Isocratio asyndetoque uno elegantissimo ! Ego vero timeo ne ita scripserit poeta ipse :

« quam tumidus rapidis Scaldis inundat aquis ».

Mitto has quisquilias et, ut oratiunculæ finem imponam, vobiscum existimabo epigramma septuagesimum quintum. Est autem tumulus Aurelii Ursi poetæ, quem in deliciis habuit Barberinus :

(p. 200) *Tumulus Aurelii Ursi LXXV*

Quem fera preripuit propero mors funere, plura
ne monumenta sui linqueret ingenij,
hic situs est Ursus. Nomen satis esse videtur
scribere tam notus versibus ipse suis.
Sed quam clarus erat sophia Ciceronis et arte, 5
si facerent eius scripta diserta fidem.
Dulciloquis priscos numeris æquasse poetas
Aurelii laudum pars quotiensque foret.

In præfatione scripsit editrix : « Die Interpunktion innerhalb der Edition wurde grossteils normalisiert. » Non equidem fusius dicam de eo adverbio « gross-teils », quod mihi minime arridet ; nam interpungendi rationes aut ad hodiernas revocentur normas, aut adhibeantur tales, quales illud secutum est sæculum ; media nulla est via quæ non sit pessima. Esto, sit conata mulier illa docta consuetudines nostras « maximam partem » servare. At ego sic sentio, sodales, hanc huius carminis interpungendi rationem ab omni ratione esse remotam ; hinc patere epigramma non esse illi perspectum. Proinde addamus distinctionem post infinitivum « scribere », versu quarto ; item ita interpungamus ut ultimi versus quattuor unam constituent sententiam sive periodum. Quibus rebus immutatis, pessime adhuc se habet carmen, cuius argumentum, aut ego fallor, aut non cohæret : adsuitur humano capiti cervix equina. Quid enim, si editrici credamus, asseverat Barberinus ? Dicit Ursum immatura præreptum morte ; ob eam rem plura divulgare non potuisse : hæc disticho primo. Non enim solum poeticis virum præstitisse laudibus, sed etiam arte oratoria necnon philosophia inter omnes eminuisse. Claudicat autem ultimum distichon ; nam, quemadmodum est editum, profitetur ibi Barberinus Aurelium Ursum, si cunctis innotuissent scripta eius philosophica et oratoria, propter ipsas poeticas virtutes omnibus futurum fuisse in ore ; quod sane est insanum ; immo tantum abest ut ad laudes canendas accedat, ut ab eis distet longissime. Tamen uno mutato verbo, quod et ipso codice defenditur, versus ad sanitatem reducemus ; quo correcto eleganter rotundatur carmen. Nonne ipsi divinatis quæ sit vox emendanda ? Nonne vobis coniectura illico venit in mentem ? Dicam ipse : tollite illud « quotiensque », et

pro eo supponite « quotacumque ». Nonne iam lepide fluit epigramma ? Immo lepidissime. Omnes enim norunt Ursum poetam. At ille et philosophica et rhetorica scripsit ; quæ si Parcisi permittentibus perpolivisset inque lucem edidisset, Ursum ut poetam eum quidem omnes admirari iam pergerent, at ut philosophum et oratorem laudibus efferrent multo maioribus.

Gustum ego dedi, sodales, qui lances ditiores ad aliam servabo occasionem. Vos vero, auditores, estote veri ac genuini Latinitatis fautores : quocirca, quamvis aridi, angusti, minuti, pusillanimi passim viris quibusdam forsitan esse videamini, quod syllabas metiamini, litterulas transponatis, verbula singula nimis ponderibus pendatis, his tamen rationibus curandum erit vobis ne præ imperitia aliorum, aliorum incuria et neglectu monumenta litterarum Latinarum recentiora cito labantur respuanturque quasi nullius sint ingenii, nullius artis. Ego vero hac in re astipulari ausim Iusto Lipsio, qui annos abhinc amplius quadringentos in *Somnio* hæc : « Correctores hoc difficillimo rei litterariæ tempore utibiles necessariosque esse ». ¹ Dixi. ❀

1. Cfr. *Two Neo-Latin Menippean Satires. Justus Lipsius : Somnium. Petrus Cunaeus : Sardi venales*. Edited with Introduction and Notes by C. Matheussen and C.L. Heesakkers, *Textus minores*, 54 (Leiden : Brill, 1980), p. 72.


HARVNDINE

SODALITAS FLANDRICA HAICVBVS LATINE PANGENDIS

– proposuit Thomas Deneire –

Lectores * lectricesque periodici *Melissæ* non puto Lignorare inter varia litterarum genera quæ hodie coluntur etiam haicua Latina in lucem edi. Nam carmina id genus origine Iaponica ab Anna Elissa Radke atque Henrico Reinhardt poetis sescenta iam specimina prelis sunt data. ¹ Attamen minus notum esse opinor iam multos per annos sodalitatem quandam Flandricam haicubus Latine pangendis eorundemque notis et virtutibus dispiciendis studere. Quam societatem, Vergiliana ab Ecloga 6, ² *Harundine* nuncupatam, hoc loco, cum Latinitatis hodiernæ, tum litterarum Latinarum studiosis proponere velim atque id quidem strictim.

Anno 1995 Marcellus Smets, præceptor linguarum classicarum rude donatus et is poeta optimus, circulum haicubus Latine conscribendis instituit, cuius sodales, pauci ii quidem, at strenui (unus magister, alter professor, tertius etiam discipulus iunior) Marcello præside statis intervallis conveniebant, ut inter se haicuum conatus proponerent, meditarentur, limarent. Sit enim genus breve haicu – in septenis denis tantum syllabis haicua constant –, ³ longe tamen in eo conscribendo solent eius cultores desudare. Haicu res cottidianas penita capessit scrutatione, plenissima vi poeseos, missis vero ingenii flosculis nimium requisitis. His delibrandis et laborandis haicuistæ inter se congregati non solum intente syllabis laborare solebant versibusve vexari, sed etiam multum inter se iocari ac ridere. Itaque anno 1998 specimina aliquot haicuum typis vulgata sunt in libro cui titulus *Haicu dum ludo* (1998), ⁴ quæ et sudorem eum et risus ⁵ testabantur :



Silent salices
dum faber nebulosus
clavos percutit.

Nidulus tepet :
pipilat avicula
os et apparet.

Superbit flava
inter herbas aphaca,
cras evanescet.

Sursum deorsum
muliebria volant
pectora cursu.

Anno post editionem *Haicu dum ludo*, alter liber, *Tonight they all dance* ⁶ intitulatus, in lucem est editus a Marcello Smets ac Theoderico Sacré, et illo iam complures per annos *Harundinis* sodale. Hic liber, qui 92 haicua Latina eorumque versiones Anglicas continet, ubique librorum existimantium tantopere favore acclamatus est, ⁷ ut ipsius pæne merito haicu Latinum magis innotuisse generisque notitia latius per rempublicam litterarum serpsisse videatur.

Anno 2005, præside Marcello Smets eheu defuncto, sodalitas *Harundine* mæstitia affecta aliquantisper iacebat pæneque evanuerat, cum duobus post annis novus præses est electus Franciscus Terryn. Qui haicuista benemeritus, multis præmiis ob haicua diversis sermonibus conscripta honoratus, decessoris sui haicuum anthologiam vulgavit, c.t. *Naar rozen kijken : haiku's van Marcel Smets (1925-2005)*. ⁸ Præterea Franciscus præses sodalitatis sessiones denuo instituit ; ipso enim auctore sodales quater in anno inter se convenire solent, ut haicua nova pangant inter seque experiantur. Sodalitas, cui ad tempus quinque sunt seduli haicuistæ, etiam a poeta Wallonico recenter aucta est, ut nomen *Sodalitatis Flandricæ Haicubus Latine Pangendis* (pro ironia hodiernæ reipublicæ) circulum ipsum vix complecti posse videretur. Sodales et situm electronicum nuper instituere, ⁹ ubi sodalitatis historia, modus conveniendi, nomina poetarum et nonnulla haicuum specimina recentissima inveniuntur :

Æstas matura :
matris in ventre pulsatur
corculum novum.

Dum spatiatur
pedes tollit ardea
quasi fœdentur.

Æstivi solis
occasu quam placide
emoritur lux.

Avido rostro
tundit turtur frustula.
Autumnus instat.

Erus et canis
una vias pererrant,
uterque claudus.

Hæc et alia poemata sodales in novum volumen colligere velint, cum tertium sodalitates lustrum erit peractum, quod anno 2010 fiet. Si quis forte lectorum lectricumve *Melissæ* sodalitates *Harundine* penitius cognoscere vel ipse in haicuis Latine scribendis periculum facere cupiat, Francisco Terryn præsi vel Hugoni Kempeneers scribæ cursu electronico mittat epistulam :

Frans.Terryn@skynet.be
vel
Hugo.Kempeneers@telenet.be ❄

* Sodalibus *Harundinis* gratias ago, cumprimis præsi Francisco Terryn et Theoderico Sacré, qui me corrector huiusce symbolæ officii suis humaniter complexus sit.

1. A. RADKE, « Carmina, quæ HAIKU more facta sunt. In hortum amoris », *Vox Latina*, 29 (1993), 389 ; Ead., *In reliquiis Troiæ. Auf den Trümmern Trojas. Lateinisch-deutsche Gedichte* (Heidelbergæ, 1995), pp. 14-15 et 60-61 ; H. REINHARDT, *Haicua Latina* (Frisingæ : privatis typis, 1983) ; Id., « Alter series haicum », *Hermes Americanus*, 2 (1984), 87-89 ; Id., « Tertia pars haicum », *ibid.*, 6 (1988), 120-122 ; Id., *Centuria haicum. Das ist : Eine Sammlung von gut hundert Gedichten in japanischer Manier und lateinischer Sprache*. Hrsg., übers. und kommentiert von R. Chlada (Frankfurti ad Mœnum – Veronæ – Novi Eboraci – Lutetiæ Parisiorum, 1984) ; Id., « Haicua Vindobonensia », *Rumor Varius*, 86 (1991), 8-10 ; Id., *Angulus haicum. Neue Dreizeiler in japanischer Art und lateinischer Sprache*. Hrsg., übers. und kommentiert von R. Chlada (Fuldahæ, [1993]).

2. VERG. *Ecl.* 6, 8 : agrestem tenui meditabor harundine musam.

3. Haicua schemate 5+7+5 syllaborum generaliter utuntur.

4. HARUNDINE, *Haicu dum ludo. Een bloemlezing van Latijnse haiku's*, Aulos. Studies over oude talen en cultuur (Lovanii, 1998). Existimatio Latina ab Accio Watanabeo scripta invenias in <http://www.uky.edu/AS/Classics/retarius/haicua.html>

(ibidem auctor librum Genovefæ Immè tractat, c.t. *Haikai Quotidiens : Haicua Cottidiana*. [in oppido Mazet St Voy : Éditions Tarmaye, 1998]).

5. Haicu non nimis serium, interdum pæne iocabundum, *Senryu* nuncupatur.

6. *Tonight they all dance : 92 Latin and English haiku*, Ed. by Dirk Sacré and Marcel Smets ; Engl. transl. by Herman Servotte ; ill. by Mark McIntyre (in urbe Wauconda (Ill.) : Bolchazy-Carducci, 1999).

7. Vide e.g. existimationem Ginneæ Lindzy (http://www.txclassics.org/ginny_articles8.htm).

8. Guilielmus Cuvelier – Franciscus Terryn – Magdalena Van Den Abbeele (eds), *Naar rozen kijken : haiku's van Marcel Smets (1925-2005)* (Antuerpiæ : Haikoe-kern, 2007).

9. [Http://perswww.kuleuven.be/~u0044197/harundine/](http://perswww.kuleuven.be/~u0044197/harundine/)

ABELARDI CALAMITATVM HISTORIA

– quam legendam proponit Francisca Deraedt –

Quis fuit Petrus Abelardus (1079-1142)? Heloysæ amasius desperatus, statim respondebis. Atque addes illorum patheticos amores tam celebres esse quam eos Tristani et Isoldæ, aut Romæi et Iuliettæ. Quid præterea? Ah, Abelardus suo tempore etiam fuit clarus philosophus, rhetor, theologus, monachus. Quid autem scripsit? Nempe epistulas ad Heloysam, hoc est bene notum. Cetera minus liquent. Fortasse tamen recordaberis eum scripsisse, inter alia opera,¹ Tractatum de unitate et trinitate divina, quem anno 1121 in concilio Suesionensi coactus est propria manu in ignem conicere.

Si Petro Venerabili² credimus, qui ei duo epitaphia dicavit, Abelardus iure haberi potest ut Francogalliæ gloria philosophica:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, logicis, quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior: studiorum cognitus orbi
Princeps...

Ipse autem « Gallorum Socrates » propriam indolem ingenue patefacit in epistula quadam consolatoria, ad amicum missa, cuius nomen nobis manet ignotum. Huic epistolæ titulus datus est Historia calamitatum: solacii enim causa auctor suas narrat miseras, ut re considerata alter propriam infelicitatem comperiat esse modicam, faciliusque toleret. Est enim miser nemo nisi comparatus, ut ait poeta.³

Quas « confessiones » legentes – nam epistula, quamvis opere Augustiniano multo brevior, eius modum aliquatenus imitatur – virum invenimus satis disparem nitidæ imagini, quam historia nobis tradidit: id est natura superbum, ambitiosum, sui amantem. Amorem erga puellam Heloysam, magis fallacem quam fama fert. Hanc narrationem tibi, bone lector, hic propono carptim exscriptam. Ipse lege, et iudica. Sed imprimis: delectare.

« Erat in ipsa civitate Parisius adulescentula quædam nomine Heloysa, neptis canonici cuiusdam qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat tanto diligentius in omnem qua poterat scientiam litterarum promoveri studuerat. Quæ cum per faciem non esset infima, per abundantiam litterarum erat suprema. Nam quo bonum hoc litteratoriæ scilicet scientiæ in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat et in toto regno nominatissimam fecerat. Hanc igitur, omnibus circumspectis quæ amantes allicere solent, commodiorem censui in amorem mihi copulare, et me id facillime credidi posse. Tanti quippe tunc

nominis eram et iuventutis et formæ gratia præeminebam, ut quamcumque feminarum nostro dignarer amore nullam vererer repulsam. Tanto autem facilius hanc mihi puellam consensuram credidi, quanto amplius eam litterarum scientiam et habere et diligere noveram; nosque etiam absentes scriptis internuntiis invicem liceret præsentare et pleraque audacius scribere quam colloqui, et sic semper iucundis interesse colloquiis.

« In huius itaque adolescentulæ amorem totus inflammatus, occasionem quæsivi qua eam mihi domestica et cottidiana conversatione familiarem efficerem et facilius ad consensum traherem. Quod quidem ut fieret, egi cum prædicto puellæ avunculo, quibusdam ipsius amicis intervenientibus, quatenus me in domum suam, quæ scholis nostris proxima erat, sub quocumque procurationis pretio susciperet. Erat autem cupidus ille valde atque erga neptim suam, ut amplius semper in doctrinam proficeret litteratoriam, plurimum studiosus. Quibus quidem duobus facile eius assensum assecutus sum et quod optabam obtinui, cum ille videlicet et ad pecuniam totus inhiaret et neptim suam ex doctrina nostra aliquid percepturam crederet. »

Ergo Petrus, iuvenis forma et disciplina (suo ipsius iudicio) præcellens, oculos conicit in aliquam puellam non solum aspectu non fœdam, sed etiam litteratam, quæ virtus est, ut omnes sciunt, apud mulieres rarissima. Itaque cum adulescentula omni ex parte placeat, eam corrumpere constituit, nullam timens repulsam, certus ut est venustatis famæque suæ. Patet rem esse cogitatam, non sponte natam ut plerumque fit si quis in amorem incidit. Gallorum ergo Socrates dolo efficit ut hospitium in puellæ domo sibi paretur, et hanc quidem primam victoriam sine ulla difficultate reportat, cum avunculus et inhiet pensionis pecuniæ et nepti cupiat bonum præceptorem dare. Techna tamen tam facile succedit, ut ipse ludificator hæreat mirans:

« (...) Non minus apud me obstupui quam si agnam teneram famelico lupo committeret. (...) »

Superest ut ipsam puellam ad se alliciat, quod fit non maiore negotio:

« Quid plura? Primum domo una coniungimur, postmodum animo. Sub occasione itaque disciplinæ, amoris penitus vacabamus, et secretos recessus, quos amor optabat, studium lectionis offerebat. Apertis itaque libris, plura de amore quam de lectione verba se ingerebant, plura erant oscula quam sententiæ; sæpius

ad sinus quam ad libros reducebantur manus, crebrius oculos amor in se reflectebat quam lectio in scripturam dirigebat. Quoque minus suspicionis haberemus, verbera quandoque dabat amor, non furor, gratia, non ira, quæ omnium unguentorum suavitatem transcenderent. Quid denique? Nullus a cupidis intermissus est gradus amoris, et si quid insolitum amor excogitare potuit, est additum; et quo minus ista fueramus experti gaudia, ardentius illis insistebamus, et minus in fastidium vertebantur.»

Quid modo legimus? Ad suspensiones avertendas eam etiam verberavit? O mores... At Abelardus mox intellegit huiusmodi consuetudines nocere studiis altioribus:

« Et quo me amplius hæc voluptas occupaverat, minus philosophiæ vacare poteram et scholis operam dare. Tædiosum mihi vehementer erat ad scholas procedere vel in eis morari; pariter et laboriosum, cum nocturnas amoris vigilias et diurnas studio conservarem. Quem etiam ita negligentem et tepidum lectio tunc habebat, ut iam nihil ex ingenio sed ex usu cuncta proferrem, nec iam nisi recitator pristinorum essem inventorum, et si qua invenire liceret, carmina essent amatoria, non philosophiæ secreta; quorum etiam carminum pleraque adhuc in multis, sicut et ipse nosti, frequentantur et decantantur regionibus, ab his maxime quos vita similis oblectat.»

Obiter animadvertamus laudem propriam: Petrus, etsi pudet carmina amatoria, facere non potest quin prædicet ea multo post adhuc ubique celebrari.

Quid tum? Petro amoribus unice occupato, scholis manifesto neglectis, iam scimus quid postea sit narraturus: mox enim id accidit, quod accidere debebat...

« Quantam autem mæstitiam, quos gemitus, quæ lamenta nostri super hoc scholares assumerent, ubi videlicet hanc animi mei occupationem immo perturbationem præenserunt, non est facile vel cogitare. Paucos enim iam res tam manifesta decipere poterat, ac neminem, credo, præter eum ad cuius ignominiam maxime id spectabat, ipsum videlicet puellæ avunculum. Cui quidem hoc cum a nonnullis nonnumquam suggestum fuisset, credere non poterat, tum, ut supra memini, propter immoderatam suæ neptis amicitiam, tum etiam propter ante actæ vitæ meæ continentiam cognitam. Non enim facile de his quos plurimum diligimus turpitudinem suspicamur, nec in vehementi dilectione turpis suspicionis labes potest inesse. Unde

et illud est beati Hieronymi in epistola ad Sabinianum: 'Solemus mala domus nostræ scire novissimi ac liberorum ac coniugum vitia, vicinis canentibus, ignorare.' Sed quod novissime scitur, utique sciri quandoque contingit, et quod omnes deprehendunt, non est facile unum latere; sic itaque pluribus evolutis mensibus et de nobis accidit.

« O quantus in hoc cognoscendo dolor avunculi! Quantus in separatione amantium dolor ipsorum! Quanta sum erubescencia confusus! Quanta contritione super afflictione puellæ sum afflictus! Quantos mæroris ipsa de verecundia mea sustinuit æstus! Neuter quod sibi, sed quod alteri contigerat querebatur; neuter sua, sed alterius plangebatur incommoda. Separatio autem hæc corporum maxima erat copulatio animorum, et negata sui copia amplius amorem accendebat. Actum itaque in nobis est quod in Marte et Venere deprehensis poetica narrat fabula. Non multo autem post, puella se concepisse comperit, et cum summa exultatione mihi super hoc illico scripsit, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberarem. Quadam itaque nocte, avunculo eius absente, sicut nos condixeramus, eam de domo avunculi furtim sustuli et in patriam meam⁴ sine mora transmisi; ubi apud sororem meam tam diu conversata est donec pareret masculum quem Astrolabium nominavit.»

De hoc infante misero postea non iam quicquam audiemus. Miro prænomine indutus, amitæ relictus, mox excidet e paterna memoria. Minus tamen facile Petrus avunculi poterit oblivisci...

« Avunculus autem eius post ipsius recessum quasi in insaniam conversus, quanto æstualet dolore, quanto afficeretur pudore, nemo nisi experiendo cognosceret. Quid autem in me ageret, quas mihi tenderet insidias, ignorabat.»

Quid tu, lector, fecisses? Sane amatam in matrimonium duxisses, nonne? Et miraris quod Petrus de hac re non statim cogitavit? Ah, bone lector, considerandi sunt mores temporis illius: duodecimo sæculo, matrimonium philosopho est dedecori. Hic non agitur de vetito religioso, cum Abelardus tum temporis nondum sit monachus. Quod autem clericus est, nullo modo significat imponi cælibatum; Medio enim Ævo clericus non necessario est sacerdos, ac sensus vocabuli tam latius est, ut etiam hominem doctum simpliciter designare possit; de quo longas explicationes a Cangio prolatas utiliter leges.⁵

« Tandem ego eius immoderatæ anxietati admodum compatiens, et de dolo quem fecerat amor tamquam de summa prodicione me ipsum vehementer accusans, conveni hominem supplicando. Atque ut amplius eum mitigarem supra quam sperare poterat, obtuli me ei satisfacere, eam scilicet quam corruperam mihi matrimonio copulando, dummodo id secreto fieret, ne famæ detrimentum incurrerem. Assensit ille, et tam sua quam suorum fide et osculis eam quam requisivi concordiam mecum iniit, quo me facilius proderet.

« Illico ego ad patriam meam reversus amicam reduxi ut uxorem facerem, illa tamen hoc minime approbante, immo penitus duabus de causis dissuadente, tam scilicet pro periculo quam pro dedecore meo. Iurabat illum nulla umquam satisfactione super hoc placari posse, sicut postmodum cognitum est. »

Hoc narrationis tempore Heloysæ persona maiestatem quandam adipiscitur, quæ lectoris admirationem penitus movet. Puella enim, de se ne tantillum quidem cogitans, tantum curans utilitates amasii, se magnanimam ostendit, vere splendidam. Heloysa non dubitat omni, quod potest, argumento matrimonium dissuadere, longe lateque explicans :

« ... quantæ maledictiones, quanta damna ecclesiæ, quantæ philosophorum lacrimæ hoc matrimonium essent secuturæ. Quam indecens, quam lamentabile esset, ut quem omnibus natura creaverat, uni me feminæ dicarem et turpitudini tantæ subicerem. Detestabatur vehementer hoc matrimonium, quod mihi per omnia probrosum esset atque onerosum. Prætendebat infamiam mei pariter et difficultates matrimonii, ad quas quidem vitandas nos exhortans Apostolus ait : ‘Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem.’ »⁶

Et argumentatur fieri non posse, ut quis inter familiares tumultus serio laboret :

« Ut autem hoc philosophici studii nunc omittam impedimentum, ipsum consule honestæ conversationis statum. Quæ enim conventio scholarum ad pedesquas, scriptoriorum ad cunabula, librorum sive tabularum ad colos, stilorum sive calamarum ad fusos ? Quis denique sacris vel philosophicis meditationibus intentus, pueriles vagitus, nutricum quæ hos mitigant nænias, tumultuosam familiæ tam in viris quam in feminis turbam sustinere poterit ? Quis etiam inhonestas illas parvulorum sordes assiduas tolerare valebit ? Id, inquires, divites possunt, quorum palatia vel domus

amplæ diversoria habent, quorum opulentia non sentit expensas nec cottidianis sollicitudinibus cruciatur. Sed non est, inquam, hæc condicio philosophorum quæ divitum, nec qui opibus student vel secularibus implicantur curis divinis seu philosophicis vacabunt officiis.

« (...) Memento Socratem uxoratum fuisse, et quam fœdo casu hanc philosophiæ labem ipse primo luerit, ut deinceps ceteri exemplo eius cautiores efficerentur. Quod nec ipse præterit Hieronymus, ita in primo Contra Iovinianum de ipso scribens Socrate : « Quodam autem tempore, cum infinita convicia e superiore loco ingerenti Xanthippe restitisset, aqua profusus immunda, nihil respondit amplius quam, capite detergo : ‘Sciebam, inquit, futurum ut ista tonitrua imber sequeretur’ »

Fiunt tamen Heloysæ Abelardique nuptiæ, sed tristes :

« Nato itaque parvulo nostro, sorori meæ commutato, Parisius occulte revertimur ; et, post paucos dies, nocte secretis orationum vigiliis in quadam ecclesia celebratis, ibidem, summo mane, avunculo eius atque quibusdam nostris vel ipsius amicis assistentibus, nuptiali benedictione confœderamur ; moxque occulte divisim abscessimus, nec nos ulterius nisi raro latenterque vidimus, dissimulantes plurimum quod egeramus. Avunculus autem ipsius atque domestici eius, ignominia suæ solacium quærentes, initum matrimonium divulgare et fidem mihi super hoc datam violare cœperunt ; illa autem e contra anathematizare et iurare quia falsissimum esset. Unde vehementer ille commotus crebris eam contumeliis afficiebat.

« Quod cum ego cognovissem, transmisi eam ad abbatiam quandam sanctimonialium prope Parisius, quæ Argenteolum⁷ appellatur, ubi ipsa olim puellula educata fuerat atque erudita, vestesque ei religionis quæ conversationi monasticæ convenirent, excepto velo, aptari feci et his eam indui. Quo audito, avunculus et consanguinei seu affines eius opinati sunt me nunc sibi plurimum illuisse, et ab ea moniali facta me sic facile velle expedire. Unde vehementer indignati et adversum me coniurati, nocte quadam quiescentem me atque dormientem in secreta hospitii mei camera, quodam mihi serviente per pecuniam corrupto, crudelissima et pudentissima ultione punierunt, et quam summa admiratione mundus exceperit, eis videlicet corporis mei partibus amputatis quibus id quod plangebant commiseram. Quibus mox in fugam conversis, duo qui comprehendendi potuerunt oculis et genitalibus privati sunt. »

Et ecce pulcher spectus vitæ mediævalis, qua omnia fiunt in propatulo, totusque populus ad omnem eventum ita solet currere, ut vix exstet condicio nobis tam cara, tam pretiose protecta, vitam dico privatam :

« Mane autem facto, tota ad me civitas congregata, quanta stupeat admiratione, quanta se affligeret lamentatione, quanto me clamore vexarent, quanto planctu perturbarent, difficile, immo impossibile est exprimi. Maxime vero clerici ac præcipue scholares nostri intolerabilibus me lamentis et eiulatibus cruciabant, ut multo amplius ex eorum compassione quam ex vulneris læderer passione, et plus erubescantiam quam plagam sentirem, et pudore magis quam dolore affligerer. Occurrebat animo quanta modo gloria pollebam, quam facili et turpi casu hæc humiliata, immo penitus esset extincta, quam iusto Dei iudicio in illa corporis mei portione plecterer in qua deliqueram ; quam iusta prodicione is quem antea prodideram vicem mihi retulisset ; quanta laude mei æmuli tam manifestam æquitatem efferrent ; quantam perpetui doloris contritionem plaga hæc parentibus meis et amicis esset collatura ; quanta dilatatione hæc singularis infamia universum mundum esset occupatura. Quæ mihi ulterius via pateret ? Qua fronte in publicum prodirem, omnium digitis demonstrandus, omnium linguis corrodendus, omnibus monstruosum spectaculum futurus ? (...)

« In tam misera me contritione positum, confusio (fateor) pudoris potius quam devotio conversionis ad monastichorum latibula claustrorum compulit. Illa tamen prius ad imperium nostrum sponte velata, et monasterium ingressa. Ambo itaque simul sacrum habitum suscepimus, ego quidem in abbacia sancti Dionysii, illa in monasterio Argenteoli supradicto. Quæ quidem, memini, cum eius adolescentiam a iugo monasticæ regulæ tamquam intolerabili pœna plurimi frustra deterrent ei compatientes, in illam Cornelie querimoniam inter lacrimas et singultus prout poterat prorumpens ait : ‘ O maxime coniux ! O thalamis indigne meis, hoc iuris habebat in tantum fortuna caput ? Cur impia nupsi, si miserum factura fui ? Nunc accipe pœnas, sed quas sponte luam.’⁸ Atque in his verbis ad altare mox properat, et confestim ab episcopo benedictum velum ab altari tulit, et se monasticæ professioni coram omnibus alligavit. »

Hic lector ingenuus oculis suis credere vix valet : ergo Abelardus, ille sanctus homo, « confusione pudoris », nec ulla alia ratione, intravit in religionem ! Quid autem de hac sententia, quæ secum discrepat, nonne, mirum in modum : « Illa tamen prius ad imperium nos-

trum sponte velata » ; misera puella, quæ prior ducitur ad sacrificium, « sponte » quidem, tamen « ad imperium » amati...

Longe abest ut Abelardi narratio hic sit finita ; eam leges, si voles, non sine delectatione. Videtur autem reliqua pars eius vitæ rixis omnimodis pæne tota esse dicata. Cum in concilio Suessionensi Tractatum de unitate et trinitate divina propria manu in ignem conicere cogitur, Gallorum Socrates hoc vulnere etiam multo magis uritur quam amatoris miseris :

« Quanto autem dolore æstuarem, quanta erubescantia confunderer, quanta desperatione perturbarer, sentire tunc potui, proferre non possum. Conferebam cum his quæ in corpore passus olim fueram quanta nunc sustinerem ; et omnium hominum me æstimabam miserimum. Parvam illam ducebam prodicionem in comparatione huius iniuriæ, et longe amplius famæ quam corporis detrimentum plangebam, cum ad illam ex aliqua culpa devenerim, ad hanc me tam patentem violentiam sincera intentio amorque fidei nostræ induxissent, quæ me ad scribendum compulerant. »

Certe Abelardi vita concludi non potest huiusmodi confessione. Restant eius opera philosophica et theologica, quæ habent suum pondus. Attamen, perlecta Historia calamitatum, pulchra quædam fabula videtur esse elapsa... ❧

1. In interreti, inter alia :

<http://www.thelatinlibrary.com/abelard.html>

http://la.wikisource.org/wiki/Petrus_Abelardus

http://www.sfl.tucl.ac.be/files/AClassFTP/Textes/Abelard/abelard_histcal.txt

2. Petrus Venerabilis (c. 1092-1156), unus e maximis abbatibus Cluniacensibus, inter alia notus est quod Coranum in Latinum vertendum curavit.

3. Sen. Tro. 1023.

4. Scilicet in Armoricam, prope Namnetes (*Nantes*).

5. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, II, p. 367-370, et p. 369 hæc : « Clerici dicti etiam qui litteris imbuti erant, viri litterati ac docti, quod clericos potissimum litteratura ac eruditio spectaret. Quippe ad clericatum non promovebantur nisi γραμμάτων ἐπιστήμονες ».

6. I Cor. 7.

7. *Argenteuil*, quæ urbs de Heloysa adhuc recordatur, cum ibi, media in urbe, via quædam vocata sit « boulevard Héroïse », mirum in modum sita iuxta « avenue du Général de Gaulle », Abelardo ex indice viarum severe reiecto.

8. Lucanus, *Pharsalia*, VIII, 94-98.



In hoc fasciculo !

De fame mundo imminente [G. Licoppe] p. 1

Peripedemi periegesis (I) [B. Walton] p. 3

De Maphæi Barberini sive Urbani VIII carminibus iuvenilibus (II) [Th. Sacré] p. 7

Harundine [Th. Deneire] p. 11

Abelardi Calamitatum historia [F. Deraedt] p. 13


Imago tegumenti : Amores Heloysæ et Abelardi, Jean Vignaud, 1819.

QVARTVM MELISSÆ ITER LATINVM

Melissæ proximum iter Latinum, quod fiet diebus 22-29 m. Augusti a. 2009, erit singulare et magnificentum. Celoce enim vehemur secundum pulcherrimum litus Turcicum, ut iam factum est anno 1991 in secundo itinere Latino. Halicarnasso (hodie Bodrum) solvemus, navigabimus secundum litus Cariæ, tan-gemus insulam Rhodum et finem faciemus in pulchro Marmaris sinu. In itinere stationes faciemus ad loca visu digna invisenda.

Cum præter nautas duodecim tantum vectores accipi possint, oportet ei qui participare cupiunt ad nos sine mora scribant.

Si quis plura scire cupit : http://web.me.com/fundatiomelissa/Site/Iter_Latinum.html



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430